



Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatvs De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

30. Quid sit de illoru[m], qui sacram, hoc proponu[n]t ægris ex mensa ad
hoc composita sumendum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

grantis adhaesit, nec usquam amplius ap-
paruit.

Q V Æ S T I O X X X .

*Quid sit de illorum, qui sacramentum hoc proponunt ægris ex mensa ad hoc compo-
sita sumendum?*

Quæstionis explicatio.

Quidam Sacerdotes non audentes eu-
charistiam in os peste infectorum p-
rius manibus & digitis immittere, inuenie-
runt diuersos modos dispensandi illam æ-
grotis, non manibus, sed externis quibus-
dam instrumentis adhibitis, puta, vel ex
mensa, vel ex scutella, in qua Eucharistia
est per pastorem decenter in corporali be-
neditio vel aliter collocata, vel ex forcipe,
vel ex spatula, quibus vel infixa est, vel re-
tentia ipsa Eucharistia, & ori peste infecto-
rum per pastorem admota: de quibus ali-
quid ex ordine dicendum est; & in primis
quid sit de modo ministrandi illorum, qui
sacramentum hoc proponunt ægris ore su-
mendum ex mensa ad hoc composita.

Responso.

Non est licitus, quia est contra modernū
Aa 5 Eccle-

Ecclesiæ morem: nusq; enim hodie audim⁹ hostiam deponi à sacerdote in mensa vel catino, vt inde, qui communicare velint, ore vel manibus sumant; sed vbiique pastores suis digitis Eucharistiam in ore sumēti-um mittunt, vt cuiq; notum est.

Dices. Plerique Doctores dicunt, probabile valde esse, Christum Dominum in prima dispensatione huius sacramenti, quæ in mensa facta est, non applicuisse manus propria panem consecratum ad ora Apostolorum, sed obtulisse tantum catinum, in quo panes consecrati erant, vt inde singuli manibus propriis sumerent, quod indicare videntur hæc Christi verba: *Accipite & come-dite.* Quod etiam de calice est euidentius, ex his eiusdem Christi verbis: *Accipite & di-uidite inter vos.* Obtulit ergo illis calicem consecratum, qui deinde per manus Apostolorum fuit ab uno ad alium delat⁹: ergo prædictus modus eucharistiam offerendi ergo sumendam ex mensa in corporali vel pate-na vel catino repositam est licitus, cum sit, vt appareat, ritui, quem ipse Christus Dominus in ministrando hoc sacramento obseruauit, conformis.

R. Non omnia, quæ fecit Christus in cæna proposita esse nobis ad imitandū, (a-lioquin licitū nobis esset, post cænam hoc sacra-

sacramētum sumere , quod est contra vni-
uersalem Ecclesiæ consuetudinem) sed illa
sola, quæ Ecclesia imitanda esse suo vſu o-
stendit. Cæterum, quia hoc modo mini-
ſtrandi non multum receditur à communi
more Ecclesiæ, nec facile scandalum inde
oriri aut irreuerentia sacramento irrogari
posset, si ad vitandum contagionis pericu-
lum graffante peste, & raris existētibus fa-
cerdotibus aliquis modus ministrandi ex-
traneus concedendus Superiorib videre-
tur, ille inter alios maxime saluo Superior-
rum & cuiuscunque alterius melioris sen-
tientis iudicio accommodus videretur.

Q V A E S T I O X X X I .

*Quid sit de illorum, qui proponunt agris ex
scutellis sumendum?*

Quæſtionis explicatio.

MEminit (a) Maior huius modi mini-
ſtrandi his verbis: *Inter scutellas etiam* <sup>a Diff. 23. q.
1. §. Quarto
arguitur.</sup>
porrigendo sacramentum Eucharistie, quam ore
docebit patientem reuerenter tractare: Quibus
verbis videtur significare, suo tēpore ſolere
ſacerdotes hoc modo peste infectis mini-
ſtrare ad vitandum contagium. Huius oc-
caſio-